



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 74. Variæ Decisiones Congregationum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

rent: In hoc autem Collegium hoc an-  
 no die nona Decembris cooptati fuere  
 præter Antonium Olgiatum Theologiæ  
 Doctorem ac Bibliothecarium, Antonius  
 Salmatius Theologiæ Doctor & Græci  
 idiomatis, ac antiquorum Scriptorum  
 peritia versatissimus, Josephus Ripa-  
 montius, Hebraice, Chaldaice & Græ-  
 ce apprime doctus, atque Historiæ Ec-  
 clesiasticæ cognitione insignis, Anto-  
 nius Gigeius Theologus, Hebraicæ,  
 Syriacæ, Chaldaicæ atque Arabicæ lin-  
 guæ multum peritus. Franciscus Ber-  
 nardinus Ferrarius Theologiæ Doctor,  
 Benedictus Soffagus, Franciscus Col-  
 lius, Antonius Rusca, & Josephus Vi-  
 cecomus, omnes Theologiæ Doctores,  
 ac elucubrandis variis operibus intenti.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1609.

§. LXXIV.

*Variae Decisiones Congregationum.*

Enimvero summus Pontifex hoc anno  
 paucas, easque minoris momenti  
 Constitutiones edidit, ejus tamen jus-  
 su atque auctoritate Sacræ Cardina-  
 lium Congregationes e re nata diversas  
 evulgarunt decisiones, & quidem die  
 vigesima secunda Januarii declarabat  
 Congregatio Sancti Officii, quod non  
 liceat adire Tempa hæreticorum ex  
 intentione in cultu falsæ Religionis cum  
 illis

Congreg.

S. Officii

Congreg.

Episcop.

Sæc. XVII. illis communicandi, sicut si quis in Templo Calvinistarum cœnam sumeret, aut cum iis preces funderet. Die etiam nona Maji decretum est, quod Confessarius Monialium etiam Regularis, non indigeat speciali licentia ad ingrediendum monasterium pro necessitatibus sui muneris, dummodo per Monasterium non vagetur, sed expleto ministerio statim exeat: Declaratum quoque die tertia Octobris, quod nequidem Episcopus extra suam Diœcesin existens valeat confiteri nec Regulari, qui non sit ab Ordinario loci approbatus: Congregatio autem Sacrorum rituum die vigesima prima Martii decidit, quod in festo Corporis Christi non conveniat cantare cantilenas vulgari sermone: statuit insuper die vigesima septima Julii, quod Episcopus etiam per censuras compellere valeat Regulares, ut accedant ad publicas processiones, nisi obstet eorum privilegium: decrevit autem eadem Congregatio die vigesima quarta Augusti, quod Abbates, aliique Prælati Regulares non valeant benedicere Paramenta Ecclesiarum non sibi subjectarum, nec etiam populo per vias more Episcoporum Benedictionem impertiri.